

Assessor veri, falsique acerrimus hostis
 Livente heu! raptus morte repente jacet:
 Numinis augusti quo nec reverentior alter,
 Æquus ei verâ nec pietate, fuit.
 Per vastum cecidit notus virtutibus orbem!
 Qui Christi vigilans in rate Typhis erat;
 Inclytus ingenio, doctrinæ flumine clarus,
 Fundereque Hyblæos suetus ab ore favos;
 Agminaque errorum pugnis devincere doctus,
 Fulminaye in pravos ore rotare viros;
 Arte valens fandi, præstantior arte docendi,
 Consciaque afficti corda levare potens.
 Nil secus heu obijt! Cohibe libitina furores,
 Siccine cuncta tuâ falce resecta cadunt?
 Siccine Pierij columen prosternere fani?
 Stinguere divinæ lumen es ausa domus?
 Siccine nil linquens adeò baccharis inausum?
 Corpora ut æterno stamine digna teras.
 Num te nequicquam Herois facundia movit?
 Num pietas? tanti cana fidesve viri?
 Hummelijne artus indignâ morte prophanas?
 Et, scelus! infando conteris ora pede?
 Corpus ne effossæ mandasle sub aggere terræ
 Gaudes? hæcne animos unica vota regunt?
 Ausa tamen stolidæ moliris inania mentis,
 Omnia post funus dum perijisse putas:
 Mens etenim celsi migravit ad atria cœli.
 Gaudet ubi fato jam meliore frui.
 Insuper insignis virtus Mausola novavit,
 Quæ stare Alpino culmine stante queunt:
 Sub quorum mœsto recubante cadavere saxo,
 Marmora signavit grandibus hisce notis.
HUMMELII OSSA SOLUM, NOMEN VIX CONTINET ORBIS,
EXPERTEMQUE ANIMAM MORTIS OLYMPUS HABET.

Sic deflebat eum mœrente & arente Musæ

DANIEL AUBERTUS AVENTICANUS
Philosophiæ Stud.

F I N I S.